







DISPVATIO PHILOSOPHICA

DE

# QVATVOR FICTIS

SIMPLICIVM SPECIEBVS,  
EX QVIBVS ILLVSTRIS LEIBNIZIVS  
CVM CL. WOLFIO DERIVARE VOLVIT  
OMNIA MVNDI CORPORA, ANIMAS BRV-  
TORVM, ET HOMINVM, VT ET IPSVM  
INTELLECTVM DIVINVM.

QVAM FAVENTE DEO O. M.

SVB PRAESIDIO

VIRI CLARISSIMI,

**D. RVARDI ANDALA,**

A. L. MAG. ET S. S. THEOL. ET PHIL. DOCT.  
ET PROFESSORIS ORD.

*Publicæ disquisitioni subijcit*

BERNHARDVS IORNA,

FRISIVS.

A. D. 26. Febr. MDCCXXVII. H. I. Q. S.

---

FRANEQVERAE,

Excudit HENRICVS HALMA, A. MDCCXXVII.

---

RECUSA HALAE SAXONVM.



DISPUTATIO THEOLOGICA

QVAVTOR FICTIS

EX QVIBVS HASTIS IERONIMVS  
CVM CL. WOLFFIO DE LITVARE VOLVIT  
OMNIA MENTI CORPORA ANIMAS BRV  
TORVM ET HOMINVM VT ET ISVM  
INTELLE DIVINVM



QVAVM I. DEO O. M.

1710

D. R. V. A. R. D. I. A. N. D. A. L. A.

05 H 743

A. L. M. A. G. I. S. T. R. I. S. I. N. D. O. C. T.

P. P. R. O. F. E. S. S. O. R. I. S. O. R. D.

B. E. R. N. H. A. R. D. V. S. O. R. N. A.

1710

A. D. W. T. H. A. L. L. I. A. M. H. A. L. L. E.

F. R. A. N. C. O. V. E. R. A. E.

B. I. B. L. I. O. T. H. E. C. A. E. M. H. A. L. L. E.

R. O. S. T. H. A. L. L. E. S. A. L. L. I. A. M.







DISPV TATIO PHILOSOPHICA

DE

QVATVOR FICTIS SIMPLICIVM SPECIEBV S, EX  
QVIBVS ILLVSTRIS LEIBNIZIV S CVM CL. WOLFIO CONSTARE VOLVIT  
OMNIA MVNDI CORPORA, ANIMAS BRVTVRVM, ET HOMINVM,  
VT ET IPSVM INTELLECTVM DIVINVM.



Vod Cl. *Burmannus* Synopseos Theol. Lib. i. Cap. 2. §. 47. propter *obscuritatem* potissimum & *barbariem Theologiæ Scholasticæ* obseruauit de huius *architectorum* scopo, *scil. hunc fuisse, vt per illas spinas & difficultates non plebem modo, verum etiam liberaliora quæque ingenia a Theologiæ suæ adspectu arcerent, sibi que solis clauem scientiæ reseruarent*; non vereor affirmare de quorundam hodiernorum nouorum Philosophorum instituto, atque de eorum obscura, intricata, paradoxa, absurda & perplexa philosophandi ratione; speciatim, ne iam alios memorem, de illustri *Leibnizii* eiusque sequacium Philosophia. Mirabuntur forte & ægre ferent non pauci hoc meum iudicium, & temerarium, & iniquum; maxime si legant, quæ vir ille Illustris scripsit de *Primæ Philosophiæ Emendatione*, & de *notione substantiæ*, & Actis Eruditorum Lipsiensium inferi curavit A. 1694. Mens. Mart. pag. 110-112. vbi ita incipit: *Video plerosque, qui Mathematicis disciplinis delectantur, a Metaphysicis abhorrere, quod in illis lucem, in his tenebras animaduertant.* Merito enim quilibet a magno Mathematico exspectaret lucidas veritates & apodicticas demonstrationes.

A

II. Cer-



II. Certus tamen sum, quod, si quis æquus rerum arbiter, veritatis amans, præiudicii & affectus expertus, rem penitus cognoverit, & Diss. I. meæ Pentadis, A. 1712. editæ, legerit, aut nuperam meam Disputationem de *vnione mentis & corporis physica, neūtiq̃uam metaphysica*, iudicium meum non sit improbaturus. Conqueritur *Viri illustris, manifestum esse, non tantum substantiæ, sed & causæ, & actionis, & relationis, & similitudinis, & plerorumque aliorum terminorum generalium notiones veras & secundas vulgo latere*. Adeoque Philosophiam primam adhuc desiderari, & inter quærenda mansisse. Scribit, *Cartesium substantia corporeæ naturam in extensione præpostere collocasse, nos de vnione mentis & corporis probas comprehensiones habuisse; quorum causa fuerit, non intellecta substantiæ naturâ in vniuersum*. Statuit, *virtutem agendi omni substantiæ inesse, tam corporeæ, quam spirituali, semperque aliquam ex ea actionem nasci; adeoque nec ipsam substantiam corpoream, (non magis quam spiritualem,) ab agendo cessare vnquam*. Putat, *ex hac vi agendi, siue præexistente nisu, solui posse problema difficile de substantiarum operatione in se inuicem*.

III. Anno seq. 1665. Mens. April. Actis Lips. pag. 145-157. inferi curauit *Specimen Dynamicum*, in quo *vires corporum & vim eorûm actiuam* repetit, & vterius explicat. Notat, *esse in rebus corporeis aliquid extensione prius, nempe ipsam vim naturæ ubique ab auctore inditam, qua non in simplice facultate consistit, sed præterea conatu siue nisu instruitur, effectum plenum habituro, nisi contrario conatu impediatur*.

IV. Imo mysterium ibi clarius aperit, dicens, *vim illam intimam corporum naturam constituere, quando agere est character substantiarum; ita ut non extensio, sed vis illa ipsam substantiam faciat*. Addit, *ob formam, siue vim illam, corpus semper agere, (quatenus est substantia,) & ob materiam corpus omne semper pati ac resistere*. Tribuit porro corporibus *principium actiuum materialibus notionibus superius, & vti sic dicat vitale*.

V. Sed & aliud Schediasma Actis A. 1698. pag. 427-440. inferuit de *vi infra, actionibusque creaturarum*, pro *dynamicis suis confirmandis illustrandisque*, vbi pag. 434. 435. *vim illam, siue formam, ipsum substantiale principium appellat πρῶτον δευτερον δὲ ἀκτινῆς, & vim motricem primitiuam*. Hoc principium in viuentibus ait appellari



lari animam; in aliis FORMAM SVBSTANTIALEM, & quatenus cum materia substantiam vere vnā, seu vnum per se constituit, id facit, quod ipse MONADEM appellat. Imo & dicit principium constitutum substantiale perseverans, in quo est velut perceptio & appetitus. Repetit pag. 432. ipsam rerum substantiam in agendi patiendique vi consistere.

VI. An in his eam lucem & certitudinem, an vero tenebras animadvertat Lector, non putem, ei posse esse dubium; nec quoque an ita Philosophia prima emendetur, an potius obscuretur & pervertatur; & an notio substantiæ tam fecunda assignetur, ut inde veritates primariæ etiam circa Deum & mentes, & naturam corporum, eaque partim cognite, sed parum demonstratæ, partim hactenus ignotæ, sed maximi per ceteras scientias usus futuræ, consequantur; vti iacet, sed nullibi præstat. Ego satis accurate hæc omnia examinavi dicta Diss. I. illius Pentadis. Tantum heic observabo, non solum absurdè statui, vim agendi ipsam substantiam & intimam corporum naturam constituere, & esse quid extensione prius; siquidem ea vis necessario requirit subiectum, substantiam & naturam, cui ea insit & cuius ea fit; sed etiam virum illustrem secum pugnare, & contrarium sæpius innuere. Statuit enim, ipsam vim naturæ ab auctore esse inditam. Sic & admittit in corpore principium vitale: & vult, creaturæ aliquid esse impressum illo verbo, producat terra, &c. rebus inditam esse efficaciam, formam, vel vim, ex qua series phenomenorum consequeretur: Si rebus, naturis, substantiis, indita sit vis, quomodo ea ipsas substantias, & intimam earum naturam constituit? Imo ita ratiocinatur. Quia menti nostræ vim insitam tribuimus actiones insitas producendi; iam nihil prohibet, imo consentaneum est, aliis animabus vel formis, aut se maius, naturis substantiarum, eandem vim inesse, nisi quis solas in natura rerum nobis obvia mentes nostras actiuas esse... arbitretur. Sed uti si menti nostræ, id est cogitationi perenniter existententi, & varios modos continuo recipienti, vel & producenti, vis cogitandi insit, non est ipsa eius natura & substantia; ita si vis agendi insit, & tributa sit substantiis & naturis rerum, ea non constituit ipsas substantias, nec intimam rerum, vt & corporum, naturam.

VII. Sed maiora longe opinionum portenta, tenebras, tricas & absurditates notavi in Disputatione de Vnione mentis & corporis



*physia*. Licet sit *dogma universale totius generis humani*, quotidiana & continua cuiusvis experientia & conscientia certissimum, & a quibuscunque Philosophis & Theologis constanter agnitum & assertum; ipse tamen post *Spinozam*, *Geulingium*, & paucos alios, id negare sustinuit. Motus quidem certe fieri in corpore statuit, quum anima eos desiderat; sed *operationem animæ*, qua motum in corpore producere possit, negat *in experientia esse fundatam*, eamque plane tollit. *Harmoniam finxit præ stabilitam actionum mentis & corporis*, absque unius in alterum *operatione*; quæ sive verbis *laqueloti*, sive *Leibnizii* alicuius sequacis, ita explicatur Act. Lips. A. 1705. Mens. Dec. p. 553. *Celeb. Leibnizius* corpus considerat tanquam *machinam tensam & dispositam* ad efficiendos omnes motus, quos producit; ut & animam tanquam *machinam tensam*, omnes continentem ideas, sese successively evolventes, modo motibus omnibus corporis conformi & correspondente. . . . Hoc modo *anima & corpus* se fere habent, ut *duo horologia pendula*, quæ motus suos pariter *iisdemque momentis exercent*. Et pag. 574. *Tale automatum non est impossibile Deo*, &c. Egregia probatio, qua effectus probatur ex omnipotentia Dei; sed a posse ad esse non valet consequentia. Et contrarium docet universalis experientia; contra quam stupendum hic supponitur *miraculum*. Hinc fingit Cl. quidam *Leibnizii* affecta, *in anima statum præcedentem fundamentum sequentis in se continere debere*, *perceptionum animæ pariter immutabili*, seu non interrupto ordine *alias ex aliis sequi*; licet nec ostendi queat ullus nexus, nec sequela, ita tamen dicitur & supponitur.

VIII. Sed ut eo magis pateat, hanc non esse *Philosophiam*, sed meram *Philosophiam*, addam hæc opinionum portenta: *cum corpus nihil plane ad sensationes animæ conferat, omnes eodem modo sequerentur, etiam si ne mundus quidem ipse adesset*. Imo. . . . nos etiam omnia extra nos visuros, audituros, & alio modo percepturos esse, etsi de rebus corporeis extra nos nihil plane adesset. Et vice versa: omnes motus in corpore eodem modo, quo iam eveniunt, euenturos esse, etiam si non adesset anima. Ergo non possemus cognoscere, esse aliquem mundum corporeum; (*idealistas dicunt Philosophos ita opinantes*;) nec quoque esse præter nostras alias mentes. Præterea, *os e viribus corporis posse omnia ad ratiocinationes requisita verba proferre, sine ullo commercio animæ: sic & rationales calami* *scriptiones sine ullo animæ*



nima concursu, modo mere mechanico, effici posse. Vis hoc evidenti exemplo illustratum? Si Divinae voluntati placuisset, animam Iulii Caesaris altero statim die ab illius creatione annihilare, corpus tamen Caesaris exserturum fuisset vim suam motricem omnem, & inde a natiuitate ad necem, coherentem in suis mutationibus successionem fuisset obseruaturum, & speciatim certo die atque hora ad senatum accessurum, & hæc atque illa verba prolocuturum. Potesne tibi persuadere Lector, hæc esse verba & dogmata Viri, qui abstinuit ab hypothesebus fictiuis, neque in principiorum loco habuit, nisi quod vel experientia clara vel demonstratione nitatur? Confer Acta Eruditorum Lips. A. 1719. pag. 124.

IX. Repetere hæc paucis volui, vt quivis videat, quam longe hæc noua philosophemata, imo opinionum monstra, absint & a veritate, & a clara, perspicua, sana, imo orthodoxa Philosophia Cartesii. Unde non obscure liquet, quid sub finem præcedentis seculi & ab initio huius currentis nonnullos, qui aliquid monstri alebant, mouerit, Philosophiam Cartesii quantum pote eliminare & in suspicionem incertitudinis & falsitatis adducere, licet etiam ut suæ famæ & existimationi consulerent, quamdiu ea Philosophia fuit in honore, absurda sua dogmata, ut illi consentanea & inde deducta, commendaverint. Qua ratione suis absurdis opinionibus fidem & speciem conciliare studuerunt; simulque Philosophiam Cartesianam plurimorum piorum & veritatis amantium, sed in ea Philosophia non satis versatorum, odio exposuerunt, ac si esset Spinozistica, & tam absurda dogmata in ea essent fundata. Sed Disputatione mea de *unionem mentis & corporis*, Halæ Saxonum recusa, plurimisque imo omnibus copiosissimæ novæ editionis exemplaribus per universam Germaniam distractis, quam plurimi rectius sunt informati, & agnoverunt, non esse ea dogmata Cartesii, nec Cartesianorum, nec mea, licet ut consentiens nominatim in partes essem vocatus, sed Spuriorum Cartesianorum, assæclarum potius Spinozæ, & nomine Cartesii & Cartesianorum abutentium, & hac arte, dolo & impostura, orbi erudito imponentium.

X. Quia autem non desunt quidam, qui illa opinionum monstra incrustant, & fucum iis illinunt, rogatus a Viris piis & veritatis amantibus, & scripturus iterum Disputationem Philosophicam, in animum induxi examinare quatuor illas species simplicium, quas statuit



statuit illustris *Leibnizius* cum cl. *Wolfio* suo assecla; quas breviter tantum proposui præfatæ Disputationis §. 45-49. heic inde repetendas.

XI. Prima species *simplicium* secundum ipsos est eorum, quæ mundum obscure sine ulla distinctione representant. hæc *simplicia* sunt indivisibilia, & sine partibus. Nec tamen sunt Epicureorum *Atomis*: nam non habent figuram, aut quantitatem, aut quicquam, quod materiæ convenit. Imo spiritus possunt vocari; habent enim naturam mundum obscurius representandi. Tales sunt *Leibnizianæ Monades* quarum nova scientia dicitur novo nomine *Monadologia*. Ex hisce simplicibus elementaribus, sive monadibus, & quasi spiritibus, hic mundus est compositus, & omnia mundi corpora. Porro animæ hominum & brutorum videntur aliquando in hoc statu fuisse, priusquam in hoc corpus venerint. Hæc est præexistencia earum, & quam secuta dicitur transformatio in creaturas rationales.

XII. Secunda species *simplicium* est eorum, quæ mundum representant clare, sed indistincte, qualia sunt animæ brutorum.

XIII. Tertia species est eorum, quæ mundum clare & distincte representant, qualia sunt nostræ animæ.

XIV. Quartus representandi modus est intellectus Divini, qui est representatio simultanea & distincta omnium possibilem.

XV. Singula hæc *simplicia* tantum gradibus facultatis representativa inter se differre dicuntur.

XVI. Hinc spiritus in genere definitur, quod sit substantia universi representativa, sive peculiaris.

XVII. Differentiæ vero specificæ desuntæ sunt a modo representandi universum, qui in infinitum variari potest.

XVIII. Hæc philosophemata iudico examen rigidum mereri. Observo I. in genere, in iis non posse animadverti lucem, qua Cl. *Wolfius* se delectari innuit, sed meras tenebras. Quis enim intelligeret *simplicia* illa elementaria, monades, & quasi spiritus; quæ sint indivisibilia, sine partibus, nec habeant figuram, aut quantitatem, aut quicquam, quod materiæ convenit: & tamen ex iis hic mundus dicitur esse compositus, & omnia mundi corpora? Quomodo *simplicia*, quæ partes non habent, nec figuram, nec quantitatem, &c. mundum & omnia mundi corpora constituere possunt? Quomodo mundum representant obscurius, clarius, aut distinctius?

An



An ergo sunt *ideæ* corporum, vti *Spinoza* voluit? sed quomodo ex illis *ideis*, vel *simplicibus*, mundus compositus est? *Ænigmata* hæc sunt, verba obscura, quorum nemo vllam potest habere perceptionem. Hinc & cl. *Engelhard*, Doctor & Professor Phil. Duisburgensis, *Leibniziani* nominis cultor, & in *Disp. de notione extensi ad mundum applicata*, primæ speciei *simplicia* Leibniziana admittens (licet ei supersit difficultas quædam, pag. 11. vt & in ceteris) & probans ex *compositione rerum*, quærit pag. 12. *Sed quid tandem erunt*, scil. hæc *simplicia*, siue *principia corporum*, siue *extensionis*? Cogitur dicere & fateri, *se nescire*; & *se horum simplicium essentiam determinare hæcenus non posse*; addens pag. 13. *forſan alii me sunt feliciores*, aut *forſan etiam serior ætas deteget*. Sed *opinionum commenta delet dies*, secundum Ciceronem. Desperavit, credo, ipse *Leibnizius* de suarum *Monadum* intelligibili explicatione; quia non vulgavit, aut perfecit nouam suam scientiam *Monadicam*, cuius multis antè obitum annis spem fecerat. Quis intelligit similiter, quomodo *anima hominum & brutorum aliquando in hoc statu simplicium & monadum* (siue *principiorum*, ex quibus omnia mundi corpora composita sunt,) fuerint, priusquam in sua corpora venerint? Quis capiet eorum *transformationem* in creaturas rationales?

XIX. Ex hac *transformatione* intelligi potest, quid sibi velit illa *Thesis*, a quodam Respondente in Academia Regiomontana, sed & serio ibidem cum aliis pluribus improbata, (*Disputatione ipsa mox prohibita*) quam ad calcem recule meæ *Disp. adiecit Cl. Langius*; scilicet hæc num XVIII. *mille modis variabor, nunquam vero esse desinam*; scil. in ipsas bestias, lapides, truncos, &c. *transformandus*; imo iam inde ab æterno per formas innumeras variatus. *Cl. Langius* hanc thesin merito confert cum verbis perditissimi cuiusdam Athei.

XX. 2. Notari in genere in his philosophematis debet pessima confusio mentis & corporis, & vtriusque proprietatum & attributorum. *Simplicia* enim, & *principia* extensionis omniumque corporum, sunt quasi *spiritus*; non habent *figuram*, nec *quantitatem*, nec *paries*, nec *quicquam*, quod *materie* conuenit. Quid ergo erunt? *Simplicia*, quæ *mundum obscure sine distinctione representant*. Quomodo? Per *ideas* credo, cogitando, percipiendo. Nescio quid aliud vox *representare* significare possit: eo magis, quia se-



quentes *simplicium* species vel *clare*, nondum *distincte*, aliæ etiam *distincte* mundum *representant*; imo quarta species, quæ *Divini intellectus, omnia possibilium simultanee & distincte representare dicitur*. Et singula hæc *simplicia gradibus facultatis representatiuæ inter se dicuntur differre*. *Differentiæ vero specificæ* desumptæ sunt a modo *representandi uniuersum*: ergo proculdubio per *ideas*, siue *confusas*, siue *claras*, siue *distinctas*, siue *simultaneas*. Quæ est manifestissima confusio mentis & corporis, saltem *simplicium & principiorum*, ex quibus omnia corpora composita sunt. Et hæc forte causa est, quod auctor de imperceptibilibus illis *monadibus & simplicibus* statuat, quod *mundum diuersis adeo modis representent*; ne nimis aperte materiæ, extensioni, aut corporibus, eam vim *representandi* adscribat. Hinc & dicit, illa *simplicia esse quasi spiritus*. Sed rectius Disp. pag. 12. scribit Cl. Engelhard: *Suntne ergo spiritus? Apage vero istas nugas! nihil enim ipsis competit, quod in spiritibus deprehendimus, non intellectus, non voluntas, neque enim entia cogitantia cum extensione quicquam commune habent, ut infinite myriades punctulum implere possint. Quomodo ergo ea simplicia mundum diuersis modis representauerint, de eo cogitasse non videtur Cl. Engelhard.*

XXI. Si vero ita paulo subtilius ostenderit mentis & corporis confusionem, clarissime & palpabiliter ea demonstratur ex eo, quod *animæ hominum & brutorum in hoc statu simplicium & principiorum*, ex quibus omnia corpora statuuntur esse composita, dicuntur præexistisse, atque ita deinde in corpore *transformate* fuisse. Quod non minus naturæ *animarum* nostrarum aduerlatur, ac fingere, eas esse ex *traduce & ex semine* parentum propagari.

XXI. 3. Heic animaduerto pessimam Dei Creatoris confusionem cum creaturis, saltem non saluari veram distinctionem Dei a suis operibus. Primæ speciei *simplicia obscure sine vlla distinctione mundum representare dicuntur*; secundæ speciei *clare*, sed *indistincte*; tertiæ etiam *distincte*; quartus vero *representandi* modus est intellectus divini, qui est *representatio simultanea & distincta omnium possibilium*. Sed singula hæc *simplicia tantum gradibus facultatis representatiuæ differunt*. Et *differentiæ specificæ* sunt desumptæ a modo *representandi uniuersum*. An ergo *intellectus diu-*

nis



*nus gradibus tantum differt ab hominum & brutorum animabus? Et an hæc tantum gradibus, non essentia & natura, inter se differunt? An Spiritus Diuinus ab aliis gradibus tantum differt? Spiritum enim in genere definit auctor, quod sit substantia vniuersi representatiua, speculi instar, siue specularis.*

XXIII. Quid porro hoc sibi vult, quod dicat, *quartus representandi modus est intellectus diuini, qui est representatio simultanea & distincta omnium possibilium?* Quid mysterii hic latet, quod priora omnia *simplicia* hunc mundum diuersis modis representent, *speculorum instar*: sed *intellectus diuinus sit representatio simultanea & distincta omnium possibilium?* An in alio plane mundo? nam in hoc mundo ex hypothesi auctoris nulla alia sunt *possibilia* præter ea, quæ fiunt; omnia sunt *necessaria*, connexa, concatenata, ita vt omnia sequentia pendeant a præcedentibus, & a *machina tensa* necessario procedant. *Quia mundus machina est, omnes euentus in eo certi sunt ... & impossibile est, vt non eueniant.* Porro: quod si vel *minimus euentus in mundo aliter se haberet, ac se habet, oporteret omnia in mundo aliter fuisse constituta, & posthac omnia aliter euenire, quam nunc euentura sunt.* Atque ita oporteret plane alium esse mundum, quam qui iam est. Concinnunt Thesis vi, & vii. illius Respondentis in Academia Regiomontana: *Qui nexum vniuersalem (id est fatalem rerum omnium seriem,) negat, rudem admodum, imo nullum de mundo eiusque auctore habet conceptum.* Et: *Si vel pilus muscæ ex mundo penitus tollatur, mundus non amplius foret idem.* Diuino intellectui tribuit *omnium possibilium representationem.* An vero vna cum iis intelligit omnia, quæ fuere, sunt, & futura sunt, & esse possunt in hoc mundo? Ænigmatica hæc sunt.

XXIV. 4. Ex præcedentibus manifestum esse colligo, (quod ex sequentibus eo abundantius liquebit,) hæc Philosophemata esse plane opposita Philosophiæ *Cartesiane*, ab ea toto celo differre, & e diametro ei esse contraria. In ea *lux* & euidencia animaduertitur; heic meræ sunt *tenebræ*. Illa quam optimæ distinguit mentem a corpore, & attributa omnia mentis ab attributis corporis; quæ in his philosophematis pessime confunduntur. Illa quam optime Deum Creatorem ab omnibus creaturis, vt a finitis mentibus, distinguit; sed in his tantum ponitur *graduuum* distinctio inter *intellectum diuinum & animas hominum & brutorum*, quæ hunc



hunc mundum *clare & distincte*, vel tantum *clare*, *representare dicuntur*: quin & inter *intellectum diuinum* & primæ speciei *simplicia*, siue principia *extensionis* & omnium mundi corporum, quæ ex hypothese hunc mundum *obscure & sine distinctione representant*. Unde patet, quam sana & orthodoxa est *Cartesii* Philosophia, tam male sana, & neuti quam orthodoxa esse noua hæc philosophemata; simulque falso & fraudulentè clar. *Wolffium* ea vrgentem & promouentem prouocasse ad *Cartesii*, aut verorum *Cartesianorum* secum consensum, eorumque Philosophiam maxima iniuria affectisse, & orbem eruditum hoc obtentu fefellisse. Vide ipsius *Metaphys.* §. 777.

XXV. §. Denique, ne putetur, me *Viris Clarissimis* velle inuidiam facere, sed causam Dei & veritatis velle agere, dum viam, (quod conscientia mea mihi testatur,) si quoque ostendam, ex quo impuro fonte magnam partem (in quibusdam enim est dissensus,) hausta sint paradoxæ, obscuræ & intricatæ hæc philosophemata, verbis quibusdam commutatis cum aliis æquipollentibus. Scilicet plurima desumpta esse ex *Spinoza*, ex collatione quorundam locorum manifestum euadet. *Eth. Part. 1. Propositio 16.* hæc est; *Ex necessitate diuinæ naturæ infinita infinitis modis (hoc est omnia, quæ sub intellectum infinitum cadere possunt,) sequi debent. Prop. 26. In rerum naturâ nullum datur contingens; sed omnia ex necessitate diuinæ naturæ determinata sunt ad certo modo existendum & operandum.* Et *Prop. 33. Res nullo alio modo, neque alio ordine, a Deo produci potuerunt, quam productæ sunt.* *Part. 2. Prop. 13. Lemma 3. est: Corpus motum, vel quiescens, ad motum, vel quietem, determinari debuit ab alio, & illud iterum ab alio, & sic in infinitum.* *Part 3. Prop. 2. est: Nec corpus mentem ad cogitandum, nec mens corpus ad motum, neque ad quietem, nec ad aliquid (si quid est) aliud determinare potest.* In Scholio ait, quod mens & corpus vna eademque res sit, quæ iam sub cogitationis, iam sub extensionis attributo concipiatur. Et quod ordo actionum & passionum corporis nostri simul sit natura cum ordine actionum & passionum mentis. Hæc est ipsa illa *Harmonia præstabilita* sine vlla operatione vnius partis in alteram. *Part. 2. Prop. 23. est: obiectum ideæ humanam mentem constituentis est corpus.* Ergo mens humana est *idea*, quæ sibi corpus representat. *Quidquid enim in obiecto ideæ, (siue corpore) humanam mentem constituentis, contingit, id ab*



ab humana mente debet percipi, siue eius rei dabitur in mente necessario idea; secundum Prop præc. 12. Denique addam Prop. II. Corollarium: Hinc sequitur, mentem humanam partem esse infiniti intellectus Dei; ac proinde cum dicimus, mentem humanam hoc, vel illud, percipere, nihil aliud dicimus, quam quod Deus, non quatenus infinitus est, sed quatenus per naturam humanæ mentis explicatur, siue quatenus humanæ mentis essentiam constituit, hanc vel illam habet ideam. Et cum dicimus, Deum hanc, vel illam, ideam habere, non tantum quatenus naturam humanæ mentis constituit, sed quatenus simul cum mente humana alterius rei etiam habet ideam, tum dicimus, mentem humanam rem ex parte, siue inadequate, percipere. Hinc potest intelligi, quomodo Deus Spinozæ, siue intellectus diuinus infinitus, qui constituit mentes omnes humanas, vel & brutorum aliorumque omnium simplicium, vniuersum mundum, siue omnia possibilis adæquate & simultanee repræsentet.

XXVI. Præmissis his obseruationibus in genere contra quatuor simplicium species, supra §. II-14. profitas, de singulis speciebus seorsim & sigillatim paucis quoque erit agendum. Primæ speciei simplicia sunt indiuisibilia & sine partibus. Ergo non sunt Epicureorum atomi; nam hæc partes habent, & singulæ aliquam magnitudinem, figuras varias, rotundam, quadratam, hexahedricam &c. sic & motum. Epicurei suas atomos uat' ἐξοχῶν corpora dicunt. Sed Leibnizianæ hæc monades, siue simplicia, sunt indiuisibilia, nec partes habent, nec magnitudinem, nec figuram, nec quicquam, quod materie conuenit. Ergo non est hic necessum atomos confutare; quod ex earum partibus, magnitudine maiore, aut minore, ex quauis earum figura, ex situ & mutuo contactu facile posset fieri: sed hæc simplicia non sunt atomi, licet indiuisibilia & simplicia dicantur. Quid ergo sunt? An puncta mathematica? Non; hæc enim ita abstracte existere non possunt. Nec puncta mathematica mundam obscure repræsentare possunt. Nec in huiusmodi statu an imæ brutorum & hominum præexistenterunt, antequam in corpus uenerint. Nec puncta mathematica sunt quasi spiritus. Imo ex punctis mathematicis non potest oriri extensio, nec omnia mundi corpora, imo ex iis ne quidem vnum posset componi. Quid ergo sunt hæc simplicia? Mundum obscure repræsentant. An ergo sunt idæe & præsentamina mundi? an sunt spiritus, vel quasi spiritus?



Hi videntur *mundum* & corpora huiusmodi posse *representare*? Sed quomodo hæc *simplicia* possint esse *principia extensionis*, aut omnium mundi corporum, intelligi non potest: quin & plane impossibile est, & repugnat.

XXVII. Sed quid tandem sunt *Leibniziana* hæc *simplicia*, quæ *mundum obscure representant*, quasi *spiritus*, ex quibus mundus dicitur compositus, licet *partes* non habeant, nec *magnitudinem*, nec *quicquam*, quod *materiæ conuenit*, & sint indiuisibilia. Quam habent essentiam & naturam? Nemo ea *simplicia* vquam intelligere, aut explicare, poterit. Sunt figmenta, quæ existentiam habere non possunt. Et si vel existere possent, neutiquam ex illis *simplicibus*, quæ nec motum, nec *quicquam*, quod *materiæ conuenit*, habent, omnia mundi corpora componi possent. Ex *atomis*, licet minimis, quæ tamen habent *partes*, & aliquam *magnitudinem*, & *figuram*, posset oriri & componi vastissimus hic mundus. Ex *vnitate*, si duplicetur, triplicetur, & sæpius multiplicetur, potest oriri *numerus*; quia vnitas est *principium numeri*, & *numerus* est collectio duarum vel plurium *vnitatum*, ita vt duæ pluresque *vnitates* necessario *numerum* faciant: sed *simplicia*, quæ nec *partes*, nec aliquam *magnitudinem* habent, nec *figuram*, &c. ea neutiquam *extensionem*, nec *corpora* huius mundi, nec *mundum corporeum* componere possunt. Adde, ex *simplicibus* sine *partibus*, sine *magnitudine* & *figura*, &c. nunquam *extensum*, magnum & quantum, constituetur. Imo si *simplicia* sint sine *partibus*, sine *magnitudine* & *figura*, ne quidem vnum aliis addi, aut adiungi potest; vt enim vnum aliis adiungatur, debent latera & partes habere, vt semet contingant: sed vbi nec latera, nec partes sunt, ibi nec *contactus* esse potest. *Fuclides* recte *Elementorum* Lib. 5. Def. 1. *partem* definit, quod sit *magnitudo magnitudinis, minor maioris, quæ aliquoties repetita, metitur vel excedit suum totum*. Sed vbi nulla est *minor magnitudo*, nec *pars*, ibi non potest additione fieri *maior magnitudo*. Concludo, *simplicia*, quæ *partes* non habent, nec *magnitudinem*, *principia extensionis* & corporum nullo modo esse posse.

XXVIII. Quasnam ergo habent *Leibniziani* rationes, ob quas statuunt imperceptibilia hæc *simplicia*? Quibus argumentis probant hæc corporum *principia*? Quasnam experimenta has *Monadés* euin-



euincunt? *Ex compositione* huius mundi omniumque mundi corporum, colligunt daritalia *simplicia*, *principia*, *monades*. Clar. Engelhard describit Disp. pag. 13. *rationibus evidentissimis ex compositione rerum ad partes simplices componentes tuto se concludere, si d horum simplicium essentiam determinare non posse*. Verum enim vero tantum abest, vt hæc ratio sit *evidens* & *solida*, vt ego contra statuam, (vt e præcedentibus iam liquet,) *simplicia*, quæ nec *partes*, nec *magnitudinem*, nec *figuram*, nec *quicquam*, quod *materiæ conuenit*, habent, non posse esse *principia corporum*, nec componere mundum & omnia mundi corpora. Quod & firmatur axiomate vulgato: *Quod quis vel quid non habet, id alteri dare non potest*. Recte solet a veris Philosophis subintelligi, vel *formaliter*, vel *eminenter*: sed id heic non requiritur. Nam vt ea *simplicia* sint *principia corporum*, & partes eorum, & extensionem & corpora & materiam constituent, debent *formaliter* & actu habere & in se continere *partes*, *extensionem* & *materiam*. Imo Clar. Engelhard dicit, illa *simplicia* esse *partes simplices componentes*. Quomodo sunt *partes* si non habeant *magnitudinem*? Et si non habeant *motum*, nec habere queant, quomodo adducuntur & coëunt ad rerum compositionem? Denique si *nihil quicquam habent*, quod *materiæ conuenit*, quomodo *materiam* constituere possunt? Sic nec Cl. *Bulfingerus* percipere potuit, quomodo *e non quanto fieri possit quantum*, siue ex illis *simplicibus corpora* mundi. Nec obiiciatur exemplum *numeri qui*, oritur ex *unitatibus*, licet *unitas* non sit *numerus*. *Numerus* enim est collectio *unitatum*, ita vt duæ, tres vel plures *unitates* faciant *numerus*; atque ita necessario est *principium numeri*: sed illa *simplicia*, quæ non habent *partes*, nec *magnitudinem*, non faciunt *extensionem*, *magnitudinem*, aut *corpus*. Duo, tria, quatuor, centum, mille *simplicia*, sine vlla *magnitudine*, nunquam dabunt rem *extensam*, magnam, corpoream, ex *partibus* compositam.

XXIX. Hinc facile intelligitur, consequentiam & probationem esse nullam: res sunt *compositæ*, ergo constant ex *simplicibus*, quæ *partes* non habent: siue corpora huius mundi sunt *composita*; ergo constant ex *simplicibus*, quæ *partes* non habent, nec *magnitudinem*, &c. Imo cohtarium sequitur; quod modo est ostensum. Hoc quidem sequitur, corpora sunt *composita*; ergo constant ex *partibus*, tanquam certo respectu *simplicibus*. Quod enim *compositum* est, constat ex *partibus* componentibus; sed neutiquam sequitur

tur



tur, corpus est *compositum*; ergo constat ex *partibus* non *compositis*, siue ita *simplicibus*, vt nec *partes*, nec *magnitudinem*, nec *figuram* habeant. Quod inductione exemplorum facile illustratur & probatur. Ita medicamentum mixtum & *compositum* dicitur constare ex pluribus *ingredientibus*; quæ respectu *compositi* dicuntur *simplicia*; non tamen quod nec *partes*, nec *magnitudinem* habeant. Homo est res maxime *composita*; cuius *partes simplices* duæ sunt, mens & corpus; licet corpus varias habeat partes. Ita corpus humanum rursus est res *composita*, cuius partes sunt variæ, *principales* & *minus principales*; caput, thorax, abdomen, & artus, brachia & crura. Ita terra nostra constat ex aqua & terra, porro ex montibus, vallibus, argilla, lapidibus, arena, &c. Sed omnes hæ partes ex partibus minoribus constant. Stellæ fixæ & sol constant ex congerie minutissimarum particularum; quæ rursus habent suas partes se minores. Nam *pars* semper est *magnitudo minor magnitudinis maioris*.

XXX. Instat Cl. Engelhard ibid. clamans: *Sed heus tu, qui iam completum substantiæ conceptum euoluisse te gloriaris, anne aceruum 1000. globulorum, gregem ouium, montem quendam stupendæ magnitudinis ex arena congestum substantiam appellas? Nomines, vt velis, nolo refragari; sed id saltem mihi dabis, me eundem montem eodem, imo meliore iure, plurium substantiarum aggregatum nominare posse, cum quælibet arenula per se singularem (vt more tuo loquar,) constituat substantiam; iam vero cum quælibet arenula iterum componatur ex aliis partibus; nonne quælibet iterum aggregatum erit aliarum, atque ita porro? Quod si actu in infinitum ita rem se habere putes, & nulla dentur simplices substantiæ, infinita habebis sine substantiis phænomena; quæ apertissima ad Spinozismum via, imo ipse Spinozismus est.* (Consequentia hæc nulla est; sufficit enim, ut sint substantiæ partes *extensas* minores habentes, quæ coniunctæ vnæ, & separatæ plures substantiæ faciunt.) *Dari ergo substantias, ex quarum coëxistentia huius mundi phænomena oriuntur, fateare necessum est, quarum essentia cumneque in extensione, neque in cogitandi actusitate consistat, &c. ignota ipsi est.*

XXXI. Ex hoc ratiocinio liquet, Virum Cl. ex notione *substantiæ* videri velle probare substantias tales *simplices*, siue *simplicia* sine *partibus*. Idcirco conferre oportet *substantiæ* definitionem, quam



quam supra pag. 9. §. 6. dederat; *substantia est ens separatim ab omni alio existens*; siue in cuius *existentia* vnum aliquod indiuiduum inuoluitur. Hanc definitionem ita confirmat: *quicquid existit rerum creaturarum* (quæ per se existunt;) *existit independenter ab omni alia re creata & separatim*; siue eius *existentia* non indiget *existentia* alterius rei, adeoque vnius indiuidui est, quod *substantiam* appellamus. Ita vir Cl. didicit ex Cl. Leibnizio; quem pag. seq. 10. scribit *præclare dixisse: Rectissime obseruatur, vnum non esse multa*; scil. eodem respectu; ceteroquin diuerso respectu vnum potest esse multa. Vti corpus humanum est vnum; attamen multa habet membra, multasque partes, & quidem compositas. *Mons* est vnus, sed constat multis lapillis aliisque partibus etiam compositis, &c. Addit Leibnizius: *sed propter hoc ipsum neque aggregatum substantiarum substantia est.* Sed hæc mera est *petitio principii*, supponendo τὸ πρῶτον, nim. *substantiam separatim ab omni alia substantia*, ergo *simplicem*, sine partibus, *existere*, & *aggregatum* plurium partium non esse *substantiam*, sed *substantiarum aggregatum*. Idem esset, ac si quis diceret, *numerum* denarium, vicenarium, centenarium, millenarium, &c. non esse *numerum*, sed *numerorum aggregatum*; *numerum* esse debere *simplicem*, qui non constat ex pluribus numeris. Vel & idem esset, ac si quis diceret, rem corpoream non esse corpus, sed plurium *corporum aggregatum*; vti & Cl. Parent in suis Disquisitionibus Mathematicis & Physicis *corpus* definit per *multitudinem innumeram corpusculorum similitium & citra confusionem junctorum*. Sed hanc esse *petitionem principii*, statim ostendam. Pergit Leibnizius: *Interim ubi est multitudo vel pluralitas, vnitas adsit oportet; multitudo enim siue numerus ex vnitate resultat.* Recte, sed ostendendum erat, esse *simplicia* ita vna, vt non habeant *partes* plures. Vti dictum est, corpus humanum esse vnum, licet plura habeat membra, plurimasque partes.

XXXII. Sed veram notionem *substantie* explicare, & examinare eius definitionem præc. §. propositam, hic oportet. *Substantie* vox opponitur voci *accidentium*, siue *modorum*, quorum esse est *inesse*; adeoque *modi & accidentia* semper indigent subiecto, quod illis subiicitur, in quo sint & existant, sine quo esse non possunt. Hinc negatur, ea per se, se solis, sine subiecto existere posse. E.Gr.

C

motus,



motus, quies, figura, calor, frigus; siccitas, humiditas, gravitas, leuitas, sapor, odor &c subiecto indigent. Sed illæ res, quæ alia re vt subiecto, fulcro & sustentaculo quasi, in quo sint & existant, non indigent, dicuntur certo sensu *per se existere*, & esse *substantia*. Hinc ergo manifestum est, secundum vsum communem, & ab omnibus receptum, omnes *mentes*, siue spiritus, omniaque *corpora*, etiam ex partibus pluribus composita, quatenus partes habent vnitatis & iunctas, & subiiciuntur pluribus accidentibus, siue modis, esse *substantias*. Hinc vtique sol, luna, stellæ, plantæ, animalia homines, metalla, lapides, ignis, aër, aqua, terra, quibus omnibus insunt *accidentia*, modi, attributa plurima, *substantie* sunt dicendæ, & ab omnibus sanis Philosophis dicuntur. Hinc quoque Deus ipse, non respectu *accidentium*, quæ in Deo non sunt, sed respectu *attributorum*, siue perfectionum suarum, dicendus est esse *substantia*; cum sit independens, nullius rei indigus, *per se*, & a se existens. Ideo *Cartesius* *substantiam* definit, quod sit *res, quæ ita existit, vt nulla alia re indigeat ad existendum*. Alii dicunt, quod sit *res per se existens*, vel *subsistens*; sed *Cartesius* optime notauit, vocem *substantie* non conuenire Deo, & aliis substantiis creatis & finitis, *vnivoce*: scilicet Deus est *substantia* sensu absolutissimo, perfectissimo, & simplicissimo; quia ita existit, vt *nulla plane re alia indigeat ad existendum*; sed *aliæ omnes substantie Dei concursu* vel conseruatione *egent ad existendum*. Ergo sensu restricto, & secundum quid, hæ dicuntur *substantie* & vulgo definiuntur *per se existere*, aut *subsistere*, & alia re non indigere, nimirum vt subiecto, cui insint & inhæreant.

XXXIII. Vnde manifestum est, *vim* quamdam *actiuam*, *nissum*, *conatum*, siue actio inde sequatur, siue impediatur, non posse esse ipsam *substantiam*, ipsum subiectum; vt & ipse Cl. *Leibnizius* dicit, eam *vim nature esse insitam*; quod supra obseruauimus, & inductione exemplorum omnium constat. Ita *vis* sciendi, humectandi, calefaciendi, illuminandi, resistendi, mouendi, &c. (nec datur dissimile exemplum,) nunquam est ipsa *substantia*, sed subiecto indiget, cui *vis* ea insit & tribui possit. Nec obicit mihi Cl. *Engelhard*, vt fecit pag. 14.) *essentiam mentis in cogitandi actuositate constitui*: quærens, *actuositas cogitandi nonne inuoluit vim cogitandi?* Respondeo, non nego, *vim cogitandi* esse in mente; nec  
*actuo-*



*actuositatem cogitandi*, id est perenniter cogitare, *involuere vim cogitandi*; nec disputatur, an certo sensu *vis substantialis* possit admitti; sed an *vis* quædam sit ipsa *substantia*? Nego, eam sine subiecto posse existere. Nego etiam, *vim & potentiam cogitandi* posse esse sine subiecto; subiectum siue essentiam mentis pono *cogitationem perenniter existentem, abstracte ab omni modificatione consideratam*. Sed Cl. Engelhard putat, de hac meliorem iure quæri posse, *cuinam subiecto insit, cum abstracta non existant nisi in suis subiectis*: respondeo, *cogitationem* perenniter existentem esse *subiectum fixum & permanens*, ipsam mentem, *sive substantiam cogitantem*, modo cum hoc, modo cum alio modo cogitandi existentem, & præditam vi cogitandi; & non posse esse aliud subiectum non cogitans, & *vi cogitandi* præditum; quod non cogitat, subiectum non cogitans non habet vim vel vnam cogitationem producendi. Quod quis non habet, id alteri dare non potest. Sed imperite vel incogitanter Vir Cl. addit, *cum abstracta non existant nisi in suis subiectis*; id enim dici debet de *accidentibus*, siue *modis*: sed heic sermo est de *cogitandi actuositate*, siue potius de perenni & permanente *cogitatione*, abstracte a modificationibus considerata; quod est ipsum subiectum, ipsa mentis essentia: ut cuiusvis rei essentia opponitur *modis & accidentibus*; adeoque semper ab iis *abstracte* debet spectari, & necessario esse quid *abstractum*; licet non ita abstracte existat, nec existere queat. Rogarem Virum Cl. ut legat præter obscura & intricata philosophemata illustris *Leibnizii* & sequacium etiam nostra clara & evidentiæ; & quam maxime celeberrimi Halensis Theologi, IOACHIMI LANGII, *Anti-Wolfiana* scripta, speciatim *Anatomen seu ideam Syst. Metaph. Wolfii*; nec non aliorum, & si placet, mea quoque scripta. *Lucem & evidentiæ*, si recte & diligenter legat, ibi reperiet & animaduertet.

XXXIV. Quod autem attinet ad Cl. Engelhard definitionem *substantiæ*, secundum Cl. *Leibnizium* datam, scilicet quod sit *ens separatim ab omni alio existens*; siue in quo unum aliquod indiuiduum inwo uitur; ea supponit τὸ ἁπλοῦς, atque adeo est petitio principii. Scilicet, quod *substantia* debeat esse quid *simplex*, & unum indiuisibile indiuiduum, quod *separatim ab omni alia re siue substantia creata* independenter de *substantiis creatis* conceditur; existit; cum tamen supra sit ostensum, omnes res, quæ subiciuntur pluribus



modis, siue accidentibus, (quæ subiecto indigent,) ipsæ autem per se existunt, nec alio subiecto indigent, *substantias* esse, & ab omnibus appellari; licet sint indiuidua *composita*, quorum partes, si separentur ab inuicem, plures & separatas substantias constituere possunt, cum coniunctæ vna tantum sint *substantia*; vti *numeri* plures coniuncti & vniti *unicum* faciunt *numerum*. Ridiculum esset excipere, eos non esse *vnium numerum*, sed *aggregatum* plurium numerorum: vel & *corpus* non esse *vnium corpus*, sed *plurium corporum aggregatum*: ita non minus ridiculum est, dicere, corpus humanum, montem &c. non esse *substantiam*, sed plurium *substantiarum aggregatum*. Imo homo sane est *substantia*, & subiectum plurimorum accidentium, licet sit substantia composita ex duplici rerum, siue *substantiarum*, genere, ex mente & corpore; quæ licet in homine sint coniunctæ, nec *separatim* existant, manent tamen realiter ab inuicem distinctæ *substantiæ*. Vnde patet, *Philosophiam primam*, respectu notionis *substantiæ*, non magis *emendatione* indiguisse, quam respectu notionis *actionis*; similibusque, quæ a *Leibnizio* peruertuntur.

XXXV. Quia ergo propter hypothesin supponitur & falso assumitur in definitione *substantiæ*, eam debere esse *simplicem*, & vnium indiuisibile *indiuiduum*, concidunt coniectaria, quæ inde deducit. Vti. 1. quod *omnis substantia sit simplex, nulla vero composita*. 2. *Vbi est compositum, quod ibi detur simplex, nim. sine partibus, sine magnitudine, figura &c.* Addit, aut adsunt talia *simplicia*; aut datur *progressus in infinitum*. Ego vero dico, neutrum sequi; sed compositum habet partes, quæ iterum possunt habere partes minores, rursus diuisibiles, & sic porro; sed non in *infinitum*. Non enim possunt esse in corpore finito partes numero *infinite*; nec tamen pars corporis potest esse nisi extensa; adeoque diuisibilis. Pars corporis ex sua natura debet esse extensa, & habere aliquam *magnitudinem & figuram*. Quod supra est probatum. 3. Quod *corpus non sit substantia, rigore Philosophico, sed substantiarum aggregatum*. Sed sibi non constat, quando pag. 13. ait, *se non confundere res extensas cum spiritualibus: plane enim diuersas esse substantias modo inculcaui*. 4. Quod *extensio sit ordo, siue series, substantiarum coexistentium*. Scilicet id falso & gratis supponitur in definitione, ex qua sequuntur illa coniectaria: quod iam supra est demonstratum.



XXXVI. Atque ita perit argumentum, quod ex notione & definitione *substantiæ* pro existentia *simplicium substantiarum* sine *partibus*, sine *magnitudine*, petit Cl. Engelhard, pag. 13. vti vidimus §. 30. Astute ficta & excogitata est talis *substantiæ* definitio, quæ infert & supponit ea *simplicia*, siue ipsum τὸ ἀπρόμεινον.

XXXVII. Quomodo autem illa *simplicia elementaria*, siue *principia* corporum omnium, *mundum totum* representent, sed *obscure* & *sine vlla distinctione*, quis intelliget? An per *ideas* confusas? ita videtur. Quæ enim alia posset esse *representatio mundi*, vnde *simplicia spiritus* possent vocari? sed quomodo *simplicia* & *principia* omnium corporum possunt vocari *spiritus*; aut per *ideas* vel quouis alio modo *mundum*, & quidem totum, *representare*? Hæ meræ sunt tenebræ. Quas & vidit Cl. *Bulfingerus*. Vti & Cl. *Engelhard* sæpe fateri cogitur, se forsan illustri *Leibnizii mentem non capere*. Scribit quoque pag. II. *Celeberrimum Wolfium simplicibus tribuere vim, quæ status eorum intimus continuo mutatur, ea lege ut præsens rationem contineat sequentis; sed qualis sit illa vis, non determinat*. Vide ipsius *Metaphys. Cap. 2. & 4.* Ne vero creatore & conservatore Deo opus sit; quibuscunque ignotis entibus & fictis *simplicibus substantiis* quamcunque *vim* & potentiam libenter adferibunt, vel fatalem & necessarium omnium rerum, causarum & effectuum, nexum & seriem statuunt.

XXVIII. Hactenus de prima specie *simplicium*; progrediamur iam ad secundam & tertiam speciem, quæ cum prima magnam conuenientiam habere debent; siquidem in eo statu olim fuissent. *Secunda species simplicium est eorum qua mundum representant clare, sed indistincte, qualia sunt animæ brutorum. Tertia species est eorum, quæ mundum clare & distincte representant; qualia sunt nostræ animæ.* Quid sibi velit hoc *representare mundum*, & quidem totum & vniuersum; quomodo secundæ speciei *simplicia clare & distincte* representent; tam est obscurum, quam quomodo primæ speciei *mundum obscure* representent. Adeoque omnia hæc densissimis tenebris sunt inuoluta.

XXIX. Olim confusos admodum conceptus habuerunt triplicis animæ; quæ *vegetatiua* esset in plantis & arboribus; *sensitiua* in brutis animantibus; sed *rationalis* in hominibus. Vide *Aristotelis Lib. 3. de Anima Cap. 20.* Hanc confusionem & tenebras



fustulit recentior Philolosophia, docens tres has *animas* toto genere & natura esse distinctas. Confer *Cartesii* Epist. 84. & 85. Part. 1. & *Claubergii* Theoriæ Viv. §. 64. *Anima* illa *vegetatiua* esset motus intestinus particularum siue fucci cuiusdam in plantis & arboribus, quo vegetantur, crescunt, incrementum capiunt & nutriuntur. *Anima sensitiua* esset ille motus in organis brutorum, qui excitatur ab obiectis externis; quique *sensus* dicitur in primo gradu, & in brutis sæpe magis viget & perfectior est, quam in ipsis hominibus, secundum vericulos vulgatos:

*Nos aper audiu, lynx visu, simia gustu,  
Vultur odoratu, præcedit aranea tactu.*

Illam *confusionem* merito numerari inter causas difficilis cognitionis naturæ *animæ*, notauit, Hept. Diff. 2. §. 2. & 39. in meo Syntagm. Sæpe obscure & imperite disputatur, *an bruta sentiant*. *Aristoteles* recte dixit, *ὄρα ὀρα, ὄρα ἀραρα, mens videt, mens audit*, scil. percipit quid per *visum* vel *auditum*. Sed optime *Cartesius* in omni *sensu* tres gradus distinxit. §. 9. Resp. sext. Primus gradus complectitur omnes *motus*, qui ab obiectis externis immediate excitantur in organis quorumcunque sensuum externorum, & per neruos, huic vel illi sensui famulantes, deferuntur ad cerebrum; vnde spiritus sæpe mittuntur per alios neruos versus hæc vel illa membra, & motus quosdam producant. Primus hic gradus nobis cum brutis est communis; quemadmodum omnibus est manifestum; & *Cartesius* ibidem notat. Secundus gradus complectitur omnes illas *ideas*, siue *perceptiones*, quæ per illos motus in nobis excitantur; vti sunt *ideæ* solis, lunæ, stellarum, aquæ, ignis, terræ, lapidum, metallorum &c. quando lumen ab his veniens, vel reflexum, agit in nostros *oculos*; vel soni feriunt *aures*; vel obiecta sapida efficiunt *linguam* & *palarum*; vel odora organa *olfaçtus*; vel tactiles qualitates, calor, frigus, grauitas, leuitas &c. organa *tactus*. Sed ad tertium gradum pertinet omnia *iudicia*, quæ illis *ideis* & *perceptionibus* solent esse coniunctæ: vti cum dicimus, nos videre hominem, equum, canem, solem, lunam, stellas, &c. non tantum eorum *ideæ* excitantur; sed etiam *iudicamus*, esse hominem, equum, canem, &c. non aliud quid. Tertius hic gradus includitur, imo præcipue intelligitur, quando dicimur hoc, vel illud, videre. Ceterorum sensuum eadem est ratio



tio. Hinc dicitur, sic *sensio*, id est sic *iudico*; item *quot capita, tot sensus*, id est *sententia* & iudicia.

XL. Vti nostra Philosophia primum *sensus* gradum quam maxime brutis animantibus tribuit; ita omnino iis denegat secundum & tertium gradum, siue omnes ideas, perceptiones, & iudicia, utpote proprietates & attributa mentis cogitantis, percipientis & iudicantis. Si enim brutis attribuamus ideas, perceptiones & iudicia: alterutrum necessum est ut statuatur, vel bruta habere animam cogitantem, percipientem & iudicantem, ergo rationalem, & a corpore distinctam; vel corpus ipsorum posse cogitare, percipere & iudicare. Prius esset e brutis facere homines; ita enim constarent, ut homines, ex anima & corpore. Sic tantum maneret graduum distinctio, uti & est inter homines, doctos & indoctos, ingeniosos & stupidos, imo inter mentis suæ compotes & insanos. Sed *gradus* secundum Logicos *non variant speciem*. Si vero posterius eligatur, hæc erit magna confusio mentis & corporis, & attributorum mentis & corporis. Omnis enim perceptio, siue obscura, siue clara, & omne iudicium, est proprietas mentis percipientis & iudicantis, nec corpori competit. Hinc secundus & tertius *sensus* gradus brutis tribui non potest.

XLI. Hinc deduco, *animam*, siue *vim* (uti *Cartesius* maluit dicere, ut confusio mentis & corporis vitetur;) *vegetatiuam* plantarum & arborum, quæ in motu fucci cuiusdam intestino consistit; & *animam* siue *vim sensitiuam* brutorum, quæ in motu spirituum & organorum consistit; esse mere corporeas; adeoque ab *animâ rationali*, cogitante, percipiente & iudicante, tota natura & toto genere distinctas. Adæoque triplicem illam *animam* neutiquam posse habere communem & generalem quandam naturam & essentiam.

XLII. Ergo nimium, imo plane confunduntur *animæ brutorum* & *hominum*, si illæ dicantur *mundum representare clare*, sed *indistincte*; hæc autem *clare* & *distincte*. Quot res a plurimis & maxima hominum parte *confuse* tantum & *vix clare* percipiuntur, quæ a quibusdam *clare* & *distincte*? an hæc ergo sola distinctio est inter *animas brutorum* & *hominum*, quod illæ *mundum representant tantum clare*, hæc vero *clare* & *distincte*?

XLIII. Quidnam vero sint hæc *simplicia* secundæ & tertiæ speciei, quidue sint *animæ brutorum* & *hominum*, æque obscurum est



est, ac quid sint *simplicia* primæ speciei *elementaria*, siue principia omnium corporum, quæ etiam *spiritus* ex hypothesi possent vocari. Quid sit *mundum representare obscure sine vlla distinctione*; vel *clare, non distincte*; vel *clare & distincte*; mera verba sunt, quorum nulla habetur perceptio, nec datur vlla explicatio. Adeo plane ignotæ sunt *animæ* tam *hominum*, quam *brutorum*; secundum The-  
sin 17. Respondentis in Academia Regiomontana ferio improba-  
tam: *Animæ operationes quotidie obseruo, quid vero anima sit, ignoro.*  
Quid quæso explicant hæc verba Cl. Wolfii? *Anima humana est sub-*  
*stantia vniuersè representatiua.* Vel: *vis representatiua constituit*  
*naturam & essentiam animæ humanæ.* Item: *in ea nihil deprehendi-*  
*mus, quam potentiam representandi. Et hoc illud ipsum est, quod in illa*  
*perdurat, & facit, vt sit ens per se subsistens.* Hinc intelligitur, cur  
Leibnizius dicat, *vim actiuam esse ipsam substantiam.* Addit Cl. Wolfius:  
*Quicquid in ea potentia non est fundatum, illud non sequitur ex essen-*  
*tia & natura animæ.* Ergo nec *voluntas* agnoscitur; nec *libertas*; nec  
*regimen corporis*; vt directe omnis *actio animæ* in corpus negatur;  
vt & *corpori* in animam. Imo hæc *ideas corporum in se, & ex se*  
*necessitate naturæ dicitur euoluere*, licet nulla essent *corpora*; sine vilo  
*corporis & organorum corporeorum subsidio; virtute sua propria.* Vide  
Metaphys. §. 529. 535. 745. 746. 754. 755. 762. 768. 777-779. 808. 819.  
884. 885. &c.

XLIV. Sed absurdissime scribitur: *videntur animæ hominum*  
*& brutorum aliquando in hoc statu*, nim. simplicium elementarium  
& principiorum corporum, *fuisse, priusquam in hoc corpus vene-*  
*rint.* Quæ est *præexistentia* earum. Sed subest triplex grauissimus  
error; 1. quod ita eadem statuatur origo & *præexistentia animarum*  
*brutorum & hominum*; imo & idem *status*, antequam in corpus  
venerunt. An quoque post existentiam in suis corporibus?  
Ita videtur; sed id reticetur; quod tamen Thesis xviii. il-  
lius Respondentis exprimit. Vti supra §. 19. visum. 2. Error est,  
quod ita *animæ* etiam *hominum* statuatur *corporeæ*, saltem cum cor-  
pore confundantur. Quomodo enim *animæ hominum* in statu *sim-*  
*plicium* primæ speciei *elementarium*, & *principiorum* corporum fue-  
runt, nisi & ipse sint *corporeæ*, saltem ortæ ex iisdem *simplicibus* &  
*principiis*, ex quibus omnia corpora sunt composita? Quod nec-  
cessario infert confusionem mentis & corporis. 3. Quam absurda  
est *transformatio in creaturas rationales*, quando veniunt in *corpus*?

XLV.



XLV. Hinc rursus intelligitur, quam rationem & causam habeant noui hi Philosophi, cur tantopere oderint & eliminare conentur Philosophiam *Cartesianam*; licet aliquando, vt tuti sint, quum sibi metuunt, vel & vt paradoxis & absurdis suis dogmatis speciem & fidem concilient, ad *Cartesium* & *Cartesianos* prouocent, tanquam consentientes, eorumque nomine & auctoritate abutantur. Notum est, nullam aliam Philosophiam tam clare explicare mentis naturam, eiusque distinctionem a corpore, & consequentem inde immortalitatem mentis. Hinc nulla Philosophia adeo contraria & opposita est conatui nouorum horum Philosophorum, & prætenste ignorantiae naturae mentis, aut confusioi mentis cum corpore. Philosophi, qui *naturam mentis*, imo & *corporis*, volunt esse ignotam, non satis solide possunt confutare eos, qui men em cum corpore confundunt. Vti & Cl. *Clericus* ex eo, quod *mentis* vt & *corporis*, *essentiam* fingit *ignotam*, ducit, nos debere *dubitare*, an non *unum & idem subiectum*, *vna & eadem substantia*, subsit *proprietas* *mentis & corporis*; *utrum duae diuersae*; hoc vult nos *lascere*; Pneumatologiae Sect. 1. Cap. 5. §. 5. 6. 10. 14. 15. 18.

XLVI. Sed *Cartesius* Med. 6. pag. 43. 44. probat, *magnam esse differentiam inter mentem & corpus*, ex eo, quod *corpus* ex sua natura sit semper diuisibile, *mens autem plane indiuisibilis*. Contrariae hæ proprietates, quæ ex ipsis eorum naturis necessario sequuntur, diuersas naturas, substantias, siue subiecta, requirunt. Ita Art. 60. Part. 1. Princ. probat distinctionem *realem* mentis & corporis, qualis est inter duas substantias; & quidem ex eo, quod mentem sine corpore vt existentem clare & distincte possimus percipere; & vice versa. Imo clarius adhuc cognoscemus, quanta sit distinctio inter mentem & corpus, nim. *essentialis*, si comparemus essentiam mentis cum essentia corporis, proprietates vnus cum proprietatibus alterius, sic & vtriusque modos. Si comparemus *cogitationem* perenniter existentem (quæ plurimis modis subiicitur, qui inde dicuntur *modi cogitandi*, siue *cogitationis*, manentis & perenniter existentis,) cum *extensione*, re extensa, cui alii *modi* insunt: quanta est dissimilitudo? *Cogitatio* non est *extensio*. *Cogitare* non est *extensum* esse in longum, latum & profundum. *Corpus* ex natura sua est *diuisibile*; habet enim partes ab inuicem separabiles: *mens* vero ex natura sua est *indiuisibilis*; quia nullas

D

habet



habet partes: mens est res vna & integra; neque facultates intelligendi, volendi, sentiendi, recordandi, iudicandi, &c. eius partes dici possunt; quia vna & eadem mens est, quæ intelligit, quæ vult, quæ sentit, quæ recordatur, & iudicat. Ita quoque *modi* mentis a *modis* corporis valde sunt distincti. Voluntate & desiderio ferri ad quoddam obiectum, quantum differt a motu vnus corporis versus aliud corpus? Amor & cupiditas summi boni & communionis Dei quam dissimilis est motui corporis parui versus aliquod magnum? Ita acquiescentia mentis in Deo, quantum differt a quiete corporis in quodam loco? In *corpore* est color, lux, calor, frigus, grauitas, leuitas, durities, mollities, fluiditas, siccitas, humiditas, sonus, sapor, odor &c. in *mente* vero est cogitare, intelligere, velle, affirmare, negare, cupere, auerfari, sperare, metuere, &c. quorum nihil corpori tribui potest.

XLVII. Vnde facile deducitur, *animas hominum* non potuisse vnquam fuisse in statu *simplicium elementarium*, ex quibus mundus est compositus, & omnia mundi corpora; nec ea *simplicia* potuisse *mundum* per ideas *representare*, ne quidem *obscure*; nec *animas brutorum clare*.

XLVIII. Restat, vt de quarta specie aliquid dicamus: *Quartus representandi modus dicitur esse intellectus Diuini, & hic representatio simultanea & distincta omnium possibilium*. Subest ratio, ob quam auctor non loquatur conuenienter præcedentibus de ipso Deo; ne scilicet nimis esset manifestum, Deo tantum tribui potentiam *representandi*; vt alibi Deum ipsum definit. Sed id heic occultatur, dum loquitur de *intellectu Diuino*. Sed non intelligo, quare non dicat, eum esse *simultaneam & distinctam* intelligentiam, cognitionem & scientiam omnium rerum existentium in hoc mundo, præteritarum, præsentium & futurarum, vt & *omnium possibilium*, nim. secundum eius hypothesin, in alio mundo; nam in hoc mundo nihil, nisi actuale, *possibile* agnoscit. Omnia corpora, etiam humana, statuit *machinam* esse ita *tensam*, vt omnes eorum motus necessario sic eveniant, vt eueniunt: ita & omnes mentes ipsi sunt aliæ *machine* ita *tense*, vt omnes ideæ, perceptiones & cogitationes necessario euoluantur & oriantur, & quidem res pondentes omnibus iis motibus. Quæ est illa *harmonia præstabilita*, ex nexu rerum omnium æterno, fatali & necessario; quem



quem non probant, nec explicant, nec ostendunt; quod esset Philosophorum; sed cum *Spinoza* eum sine probatione assumunt & supponunt. Cum ergo nulla *possibilia* in hoc mundo admittant, nisi actualia, in alio mundo fingunt *possibilia*, siue *euentus contingentes*, qui non aliter ad existentiam possunt peruenire, quam per seriem innumerarum rerum, quæ ante ipsas euenerunt; & cum illis coniuncte sunt, ita ut, quando fundamentum ipsarum ostendendum est, istud semper nouum habeat fundamentum sine fine, siue in infinitum. Qui tamen euentus in alio mundo & rerum serie rursus essent certi & necessarii. Hæc tamen *possibilia* dicuntur, quatenus non involunt contradictionem, & in alio mundo fieri possent, & certi essent euentus.

XLIX. Credo tamen ipsos Deo velle tribuere scientiam omnium rerum & euentuum huius mundi; quemadmodum spiritum (etiam Diuinum) in genere definiunt, quod sit *substantia vniuersi representatiua*. Et *differentiæ specificæ* horum simplicium dicuntur esse *desumpta a modo representandi vniuersum*. Sed mirum est, quod *intellectus Diuinus* non dicatur *simultanea & distincta*, siue perfecta & adæquata, *representatio huius mundi*, sed omnium *possibilium*, nim. quæ fieri possent in alio mundo, & ex alia rerum serie & nexu necessario sequerentur. Quid mysterii heic subsit, non capio. Ego heic cum Cl. *Engelhard* lubenter fateor, *me non capere auctoris mentem*, quam obscuris verbis inuoluit, & non explicat; quod candidi est Doctoris. Suspicio tamen, ipsos nomine *possibilium* completi euentus omnes *necessarios* huius mundi; & porro *omnia possibilia in alio mundo*. Vide Methaphys. Cl. *Wolfii* §. 567-569. 573-575.

L. Possẽ quoque merito in hac descriptione *intellectus Diuini* desiderare mentionem obiecti primarij, naturalis & necessarij, quod est Deus ipse, Diuinæ Perfectiones; *Diuinus intellectus* utique necessario se ipsum, suam essentiam, suasque perfectiones, plene, perfecte & adæquate debet cognoscere, intelligere, & si ita velis, sibi *representare*; imo in sua omnisufficiencia omnia *possibilia*; uti & ex suo decreto omnia *præterita, præsentia & futura*. Verum non tantum obscura & insufficiens hæc est idea *intellectus Diuini*, sed & imperfectissima Dei ipsius idea datur; quia tantum *potentia representandi*, siue *specularis*, ei tribuitur; ut cum Deum definiunt, quod sit *substantia omnia vniuersa possibilia unico actu distincte*, ser-



*adequate, representans.* In potentia representandi non continetur libera voluntas; nec effectus ex representatione sequitur. Ergo nec vera omnium creatio & providentia, nec gubernatio, ita docetur, sed reapse evertitur. Quod & ipsa hypothesis docet. Nam ea potius necessariam omnium ex præcedentibus sine fine existentiam infert, & seriem rerum ab æterno. Imo quomodo creationem & providentiam agnoscerent, qui dicunt, existentiam ipsam mundi difficulter contra Idealistas demonstrari; & initium mundi aut generis humani e principis rationis demonstratum nondum esse? Quod Cl. Langius observat Idææ Analyt. Syft. Wolf. §. 23. & 58. ex ipsius Rl. Prælect. §. 156-158.

LI. Displicet mihi etiam, quod Deus vel Divinus intellectus gradibus facultatis representatiuæ tantum, dicitur differe a tribus primis speciebus, si singula hæc simplicia, tantum gradibus facultatis representatiuæ inter se differunt, & differentie specificæ desunt, sunt a modo representandi uniuersum, qui in infinitum variari possit. Nulla datur proportio inter finitum & infinitum. Nec a finito gradatim perueniri potest ad infinitum. Finita addita finitis nunquam dabunt infinitum. Ita partes siue corpora huius mundi finita nunquam efficient mundum infinitum; nec numerus momentorum tempus infinitum. Imo quod partes habet, non potest esse infinitum.

LII. Ex hisce speciminibus constare poterit, quam obscura, quam paradoxa, imo & absurda, sint hæc philosophemata de hisce simplicibus, de quatuor eorum speciebus: quantam iniechant confusionem animæ & corporis, item animarum brutorum & hominum, si non quoque ipsius Dei. Nam si primæ speciei simplicia, siue principia corporum, representarent mundum, quod non nisi cogitando, & per ideas posset fieri, omnia corpora, quæ ex simplicibus illis composita sunt, cogitare deberent. Si secundæ speciei simplicia etiam representarent mundum, & quidem clare, sed indistincte; quod rursus cogitando, & per ideas fieri deberet; etiam animæ brutorum cogitarent. Tertiæ speciei simplicia, id est animæ hominum, que mundum etiam dicuntur representare, & quidem clare & distincte, æque ac animæ brutorum statuuntur fuisse, priusquam in corpus venirent, in statu simplicium elementarium, siue principiorum corporum, atque ita transformate in creaturas etiam rationales. Vnde liquet, quam obscura & inepta sit omnis illa Philosophia, quæ ex his principis & simplicibus deducitur. Quantum præstitisset, vt celeberrimi illi Mathematici studium Mathematicum, in quo excellunt, promouissent, & non tam infeliciter falcem suam in messem Physicam & Metaphysicam immisissent, & vtramque corrumpissent & deprauassent!














DISPUTATIO PHILOSOPHICA  
DE  
**QVATVOR FICTIS**  
SIMPLICIVM SPECIEBVS,  
EX QVIBVS ILLVSTRIS LEIBNIZIVS  
CVM CL. WOLFIO DERIVARE VOLVIT  
OMNIA MVNDI CORPORA, ANIMAS BRV-  
TORVM, ET HOMINVM, VT ET IPSVM  
INTELLECTVM DIVINVM.  
QVAM FAVENTE DEO O. M.

*SVB PRAESIDIO  
VIRI CLARISSIMI,*

**D. RVARDI ANDALA,**

A. L. MAG. ET S. S. THEOL. ET PHIL. DOCT.  
ET PROFESSORIS ORD.

*Publice disquisitioni subijcit*

**BERNHARDVS IORNA,**

FRISIVS.

*A. D. 26. Febr. MDCCXXVII. H. L. Q. S.*

FRANEQVERAE,

Excudit HENRICVS HALMA, A. MDCCXXVII.

RECUSA HALAE SAXONVM.

